



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita P. Ignatii Loiolae, Qui religionem Clericorum
Societatis Iesu instituit**

Ribadeneyra, Pedro de

Coloniæ Agrippinæ, 1602

In exercitia spiritalia inquiritur: in Hispaniis distribuuntur prouinciæ. IX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45323

ficem Max. viros que clarissimos scri-
perunt, quæ propter summam lau-
dem, audire nostri non poscent sine
verecundia.

IN EXERCITIA SPIR-
italia inquiritur. In Hispania di-
stribuuntur Provin-
cie.

CAPVT IX.

IN Hispania eodem anno 1553. &
probatur Societas, & augebatur.
Nam exercitiorum spiritualium ra-
tio (quorum usus florebat in Hispa-
nia, & uberrimos Christi Ecclesiæ fru-
ctus adferebat) eodem tempore graui-
ter agitata est: & à bonis illis quidem
viris, sed rerum nostrarum rudibus,
multa contra libellum illum scripta
ac notata sunt, & ad fidei Inquisidores
delata. Sed veritas tandem omnes te-
nebras dispulit, & cum suis sc. viribus
defendit, tum vero sacrosanctæ Sedis
autoritate, aduersariorum impetus fa-
cile propulsauit, ac fregit. Itaque suum
cursum Societas tenuit. Namque E-
borense Collegium ab Henrico Car-
dinali Emanuelis Lusitanæ Regis
filio, & Ioannis Regis sanguine, & pie-
tate germano fratre, proper eximiam
eius

eius religionem, & in Societatem benevolentiam, eodem tempore est inchoatum: & ita deinceps amplificatum, & noua Academia, & certis redditibus ornatum ac perfectum, ut permagnus auditorum numero, ac frequentia disciplinæ in eo omnes tradantur. In Conimbricensi verò, ad Nouitios probè instituendos, & ad normam Societatis erudiendos, domus Probationis est instituta. Vlyssipone etiam, & Professorum domus instituta, & collegium superiore anno informatum, novis lectionibus locupletatum est. Abulense: præterea Collegium eodem anno 1553. initium habuit. Ijs adde Cordubense: cui quidem P. Antonij à Corduba introitus in Societatem principium dedit. Is enim Laurentij Figueroæ Comitis Feriæ & Plieghi Marchionis filius, postquam nostrum institutum complexus est, nihil habuit antiquius, quam res nostras, quibus ignotæ erant, noras efficere: & per suos copijs, & clientelis facilè principes Cordubæ Societatem collocare. Ad eam rem, cum Magistratu transigendum, Franciscus Villanova cum socio, Cordubam profectus est. Qua in viba erat opibus, atque autoritate præstans D.

X 2 Ioan-

Ioannes à Corduba, Cordubensis Ecclesiæ Decanus, & in nostros tunc quidem non optimè affectus. Hic ubi nostros Cordubam venisse audit, indagandi, explorandi que cupiditate perquisitos, domum ad se inuitat, cogit, hospitio excipit: curiosè atq; assidue, furtim etiam obseruat, excutit diligenter: admiratione vitæ nostrorum se ipse colligit: consuetudine illorum, ac sermonibus capituri: veritate comperta amare eos incipit, quos odiſſe anteā videbatur. Intra paucos dies, ædes in quibus ipse habitabat, amplas in primis & magnificas nostris donat: multam præterea vestem pretiosam, vas aurea, atque argentea ad Dei cultum non pauca: annuos fructus ad victimum cultumque constituit: tam studiosè & ardenter, ut se neque dormire, neque vigilare posse diceret, neque aliud, quā de Collegio nostro cogitare. Itaque quod dixi, breui effecit, magnamque apud omnes ea voluntatis erganos, & vitæ ipsius miratio admiracionem habuit. Neque enim ille, quo esset anteā in nos animo tulerat obscurè: neque ignorari poterat quod faciebat, propter hominis dignitatem.

Atque

Atque ad hęc quidem confienda, non parum contulit Magister Hieronymus Natalis, quem Ignatius hoc ipso anno Commissarium generalem in Hispaniam misit, ut nostris constitutiones à se perscriptas promulgaret: ordinem Collegiorum atque disciplinam inspiceret: eaque quo gubernarentur commōdius, in plures quam antea, Prouincias distribueret. quod & fecit; & Castellæ Antonium Araoz, Bēthicæ Michaēlem Torrensem, Aragoniæ Franciscum Stradam. Lusitaniæ Iacobum Mironem (vt fuerat iussus) Prouinciales constituit. Omnibus verò præfecit, & Commissarium generale in vniuersitate Hispania instituit. P. Franciscum Borgiam, cuius erat apud omnes magna in primis autoritas.

VARIA COLLEGIA.

CAPVT X.

HVnc in modum, res in Hispania composite, mirificum progressum habuerunt. Nam Cordubensis Collegij exemplo fructuque inuitati Hispalenses multi ciues, nostros expetierunt. Itaque in sequenti anno 1554. Hispalense Collegium P. Frā.